

communes toti Ecclesiæ et per Ecclesiam proponendas. Unde, si Deus alicui privato homini revelaret aliquid spectans religionem, iste privatus teneretur id credere, non vero alii, etsi juraret id sibi fuisse revelatum; quia hoc non proponeretur ab Ecclesia, quæ est catholicis regula discernendi revelata, ut dictum est.]

ARTICULUS III

Utrum fidei possit subesse falsum?

Quæstionis sensus est duplex. Primus: An Deus possit revelare falsum, seu mentiri? Secundus: An quis possit ex fide divina elicere assensum falsum, seu credere aliquid esse verum et a Deo revelatum, quod non est verum nec a Deo revelatum?

Dico 1º: Deus non potest absolute mentiri, seu dicere falsum¹, juxta illud Apostoli, *Hebr.*, vi, 18: *Impossibile est mentiri Deum.*

Probatur. Est absolute impossibile primam et essentialem veritatem mentiri. Atqui Deus est prima et essentialis veritas. Ergo. — Prob. maj. Mentiri est deficere a veritate. Atqui implicat primam et essentialem veritatem a veritate deficere; alias deficeret a seipsa, sicque non esset prima, essentialis et indeficiens veritas.

Confirmatur 1º. Si Deus posset absolute mentiri, tota fides nostra nutaret. Unde enim sciremus non mentitum fuisse? Ex revelatione? Sed de hac revelatione foret eadem difficultas, idem dubium, an non mentiatur.

Confirmatur 2º. Mendacium est intrinsece malum et peccatum. Ergo non potest esse absolute a Deo.

Dico 2º: Fidei non potest subesse falsum ex parte credentis², id est, fides non potest inclinare ad assensum falsum, nec illum elicere.

1. Ibid., a, 3, o. — 2. Ibid.

Probatur. 1º Nihil subest alicui potentiæ vel habitui, aut etiam actui, nisi mediante ratione formali sui objecti: sicut color non potest videri, nisi per lucem, neque conclusio fieri potest, nisi per medium demonstrationis. Atqui ratio formalis fidei est prima veritas in dicendo, quæ, ut modo dicebamus, non potest revelare falsum. Ergo.

2º Virtus intellectualis non potest esse principium assensus falsi, sicut virtus appetitus rationalis non potest esse principium actus vitiosi. Atqui fides est virtus intellectualis. Ergo. — Prob. maj. Omnis virtus est bona dispositio ac perfectio potentiæ in ordine ad suum objectum. Atqui objectum intellectus est verum. Ergo.

Contra primam conclusionem opponi possent quædam apparentia mendacia quæ referuntur in Scripturis. Verum ea abunde soluta habes in majori nostro Opere, tract. *de Relig.*, dissert. IX, a. 2, ubi de restrictionibus mentalibus, de quibus etiam dicemus infra loco cit.

ARTICULUS IV

De obscuritate in objecto fidei et evidentia in attestante.

Petes 1º utrum objectum fidei sit necessario obscurum et invidens.

Resp. affirmative¹.

Probatur 1º ex Apostolo, *Hebr.*, xi, 1, dicente quod fides sit *argumentum non apparentium*, et ex Augustino, tract. xi in *Joann.*: « Fides est quod non vides credere. »

Probatur 2º ratione². Illa dicuntur videri, quæ per seipsa movent intellectum vel sensum ad sui cognitionem, ut sunt prima principia et conclusiones ex ipsis evidenter deductæ, vel sensibilia sensibus debite proposita. Atqui objectum fidei non potest per se movere intellectum aut sensum ad sui cognitionem, cum non sit ad instar primo-

1. Ibid., a, 4, o. — 2. Ibid.

rum principiorum, quæ ex ipsis terminis innotescunt; neque ad instar conclusionis, quæ ex principiis per evidentem consequentiam deducitur; neque aliquid sensibile, quod sensibus percipiatur. Ergo.

Petes 2º quomodo obscuritas se habeat ab objectum fidei.

Resp. Obscuritas in objecto fidei non pertinet ad rationem formalem *sub qua* fidei, sed est tantum conditio *sine qua non*.

Probatur. Ratio formalis *sub qua* fidei est motivum et ratio assentiendi rebus quæ creduntur. Atqui motivum et ratio cur assentiamur rebus fidei est prima veritas in dicendo, ut diximus superius, non obscuritas; non enim credo Deum esse trinum, quia non video, sed quia Deus, qui verax est, revelavit, sicut non credo Romam existere, quia non video, sed quia fide dignus mihi dixit. Ergo. Restat itaque quod obscuritas seu inevidentia requiratur ad objectum fidei, sicut approximatio ignis ad comburendum, existentia causæ ad causandum, apprehensio finis ad movendum voluntatem.

Petes 3º utrum saltem evidentia in attestante sit compossibilis cum fide.

Per evidentiam in attestante intelligimus evidentiam, non Dei revelantis, neque rei revelatæ, sed ipsius revelationis, ita quod mihi clare constet, quod sit a Deo, licet neque Deus, neque res revelata mihi sit evidens. Hæc autem evidentia potest considerari dupliciter: 1º solitarie, sine aliquo adjuncto; 2º conjuncta cum hac duplici cognitione pariter evidente, quod Deus non possit absolute dicere falsum, et quod loquatur in sensu naturali, non metaphorico.

Suppono evidentiam in attestante solitarie sumptam stare posse cum fide; quia, quantumvis sit mihi evidens Deum aliquid revelare, si tamen non sit evidens quod non possit dicere falsum, aut quod non loquatur in sensu litterali, non erit mihi evidens ita esse sicut Deus dicit, sicque remanebit locus fidei. Unde quæstio est de evidentia in attestante cum duplici cognitione dicta.

Resp. Evidentia in attestante, cum suis adjunctis, est compossibilis cum fide¹.

Probatur. Illud fide credimus, cui in seipso ignoto assentimur propter solam auctoritatem Dei attestantis; in hoc enim distinguitur fides a scientia et visione. Atqui evidentia in attestante, cum suis adjunctis, relinquit rem revelatam in se ignotam; non enim demonstrat connexionem prædicati cum subjecto, sed tantum esse evidenter revelatam, et ut talem esse certam. Ergo.

ARTICULUS V

Utrum mysteria fidei sint evidenter credibilia?

Dico: Mysteria fidei nostræ sunt evidenter credibilia², juxta illud *Psal. xcii, 5: Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Probatur. 1º Illud est evidenter credibile, evidentia scilicet non metaphysica, sed morali excludente rationabile dubium, quod idoneis testibus, signis et aliis argumentis extrinsecis probatur. Atqui sunt hujusmodi mysteria fidei nostræ. Ergo. — Min. patebit ex motivis credibilitatis infra exponendis. — Maj. etiam constat; credibilitas enim non sumitur, sicut veritas, ab intrinseco ex connexionem prædicati cum subjecto, seu ab eo quod res est, sed ab argumentis extrinsecis, scilicet testimoniis, signis, etc. Sic ex hoc quod in judicio testes idonei aliquid affirmant, habetur evidentia, non quod ita sit, possunt enim mentiri, sed quod sit ita credibile et judicabile, absque rationabili alterius partis formidine.

2º Nihil est scibile sine evidentia scibilitatis, nec probabile sine evidentia probabilitatis. Ergo nec credibile sine evidentia credibilitatis.

1. Infra q. 5, a. 1 et 2, o. — 2. Ibid., a. 4, ad 2.

3^o Assensus fidei debet esse prudens; est enim actus virtutis. Et prudentia dictat non esse credendum nisi quod est credibile: *Qui enim cito*, id est temere, *credit, levis est corde. Eccli.*, XIX, 4. Atqui jubemur credere firmissime mysteria fidei. Ergo supponuntur evidenter credibilia, seu fide digna.

[*Obj.* 1^o: Quod est evidenter credibile, est evidenter verum. Atqui mysteria fidei non sunt evidenter vera. Ergo.

Resp. Nego maj. Veritas enim, ut dictum est, petitur ab intrinseco, seu ab eo quod res est; credibilitas autem a testimoniis et motivis extrinsecis.

Inst. Quod est evidenter credibile, est evidenter possibile. Sed, in divinis, idem est esse possibile et verum. Ergo.

Resp. Nego maj.; quia possibilitas, sicut veritas, petitur ab intrinseco. Unde aliquando contingit quod falsa sint credibilia et probabilia veris.

Obj. 2^o: Si mysteria fidei essent evidenter credibilia, omnes quibus æqualiter proponuntur crederent. Atqui falsum consequens. Ergo.

Resp. Nego sequelam, tum quia non omnes ad ea debite attendunt, sed vel ex pravitate affectus, vel ex incuria salutis, vel propter difficultatem credendorum in particulari, ab eorum examine intellectum amovent, tum quia ponunt obicem interiori illustrationi, ut alibi dictum est.

Obj. 3^o: Mysteria fidei sunt rationi opposita. Ergo. — *Prob. ant.* 1^o Non possunt per rationem intelligi. 2^o Nullam habent cum ratione convenientiam. 3^o Possunt oppugnari argumentis quæ ratione dissolvi nequeunt. Ergo.

Resp. Dist. ant. Mysteria fidei sunt rationi opposita apparenter, *conc.*; vere ac realiter, *nego*. Etenim vera et realis oppositio dari non potest, nisi inter res ejusdem ordinis, quarum una directe excludit alteram. Ratio autem nostra concluditur intra res naturales, dum objecta fidei sunt supra naturam. Non potest ergo inter eas esse oppositio

vera, qua se invicem excludant, sed tantum in hoc, quod inter ideas rationis nulla sit quæ veritates fidei vel clare repræsentet, vel etiam evidenter excludat: quæ oppositio est mere apparens. Qua de re sedulo notandum est, aliud esse quod aliquid sit supra rationem, hoc est, quod per ideas rationis nec intelligatur nec intelligi possit, sive quod excedat et superet captum nostræ rationis; aliud quod sit contra rationem, scilicet quod per ideas rationis evidenter excludatur, quæ exclusio omnimode requireretur ad veram et realem oppositionem. Res autem ita se habet inter mysteria fidei et rationem, quod ratio ea solummodo non capit. Unde, licet sint supra, non sunt tamen contra rationem, nec pro falsis a ratione haberi possunt.

Ad 1^{am} probat., *dist.* Mysteria non possunt per rationem intelligi *quid* sint et *quomodo* sint, *conc.*; *quod* sint et reale objectum habeant, *nego*. In rebus quoque naturalibus plurima sunt quorum intrinsecum subsistendi modum minime cognoscimus, et tamen certi sumus quod revera existant.

Ad 2^{am} probat., *dist.* Mysteria nullam habent cum ratione convenientiam immediatam, *conc.*; mediatam, *nego*. Non negatur in omni cognitione necessariam esse aliquam convenientiam cum ratione; quia ratio est medium universale omnium cognitionum. Hæc autem convenientia est mediata vel immediata. In rebus naturalibus, est immediata, quia ratio est per se apta ad eas cognoscendas. In rebus vero supra naturam positis, frustra recurritur ad lumen rationis, quod non est proportionatum, immerito exigitur convenientia immediata quam rerum essentia non patitur. Recurrendum est ergo ad convenientiam mediatam, quæ in eo consistit, quod propter infallibilem auctoritatem Dei revelantis cognoscimus multa quæ in ideis rationis proxime non continentur, lumine tamen rationis certissima esse intelliguntur, cum nihil magis rationi consonum sit, quam ut Deo loquenti omnimoda fides sit adhibenda.

Ad 3^{am} probat., *dist.* Veritates revelatæ oppugnari possunt argumentis quæ ratione dissolvi non possunt apparenter,

conc.; vere et realiter, *nego*. Pro universali responsione sufficiat quod, cum probatum sit oppositionem inter veritates supernaturales et ideas rationis non esse nisi apparentem, argumenta quæ ex principiis rationis contra mysteria revelata afferuntur, non possint esse vere et realiter insolubilia, sed tantum apparenter. Legatur super hac quæstione III *Contra gentes*, c. 7, ubi D. Thomas pluribus argumentis probat quod asserit, scilicet: « Quamvis veritas fidei christianæ humanæ rationis capacitatem excedat, hæc tamen quæ ratio naturaliter indita habet, huic veritati contraria esse non possunt. »]

Petes 1^o quo lumine habeatur cognitio credibilitatis: an supernaturali, an naturali?

Resp. probabilius haberi lumine naturali adjuto aliquo lumine supernaturali, scilicet illustrationibus actualibus quibus Deus illuminat intellectum eorum, ad percipienda et judicanda ea quæ Dei sunt, et fit quod intendant iis quæ dicuntur et prædicantur, sicut *Act.*, xvi, 14: *Dominus aperuit cor Lydiæ, intendere his quæ dicebantur a Paulo*; quodque in eis observent et judicent esse divinam credibilitatem, ad quæ tandem sequitur fides.

Petes 2^o utrum, ut aliquid credat, debeat necessario esse ipsi evidens mysteria fidei esse credibilia.

Resp. affirmative. Patet ex dictis; alioquin enim imprudenter crederet. Attamen non æqualis omnibus est necessaria evidentiæ; quandoque enim sufficit sola vox prædicantis, cum lumine interiori suadente dictorum credibilitatem, ut patet in pueris et rudioribus credentibus dictis a pastoribus, quos sciunt loqui nomine Ecclesiæ, in India credentibus missionariis prædicantibus sine miraculis, in Apostolis sequentibus Christum ad solam ejus vocationem, antequam ejus miracula vidissent.

DISSERTATIO II

DE MOTIVIS CREDIBILITATIS RELIGIONIS CHRISTIANÆ ADVERSUS INCREDULOS, VULGO DEISTAS.

Increduli seu deistæ dicuntur, qui ens supremum seu verum Deum agnoscunt, sed negant eum quidquam revelasse hominibus, ideoque Religionem Christianam cum suis mysteriis figmentum humanum reputant. Volunt autem in his quæ sive Deum, sive seipsos, sive alios spectant, sola ratione duci, eamque unam in omnibus et veritatis et vitæ regulam ac judicem agnoscunt.

Hinc in varias abeunt adinventiones. Quidam censent animam rationalem esse materialem, ideoque negant ejus immortalitatem, dicuntur Materialistæ; alii animam rationalem spiritualem et immortalem agnoscunt. Quidam negant providentiam divinam circa res humanas, Deumque mala punire aut bona præmiare; alii contra sentiunt. Quidam justitiam et injustitiam non nisi verba reputant, summamque regulam in propria utilitate reponunt; alii creaturam rationalem certis officiis erga Deum et æquales, secundum dictamen rationis, subjiciunt. Nec mirum, si sic inter se scindantur; cum enim, ut dixi, unam rationem pro duce et regula habeant, quisque pro nutu suæ rationis sistema sibi cudit.

Adversus hunc pestilentissimum errorem totius religionis eversivum et his temporibus invalescentem, plurima atque eruditissima prodierunt scripta, quibus varia ejus systemata efficaciter impugnantur et error penitus profligatur. Verum ego compendio intendens in gratiam studiosæ juventutis, rem puto me sufficienter confecisse, si invicte probavero Religionem Christianam esse divinam, a Deo revelatam atque institutam. Hoc enim posito, palam sequitur omnia quæ proponit credenda, ut sunt mysteria SS.